




M  
A  
650



A. 26

I. N. J.

DE

# MEDICI OFFICIO DISSE R TATIO QVARTA,

*Quam*

P RÆS I D E

## JOHANNE BOHNIO,

Med. Doct. & Prof. Publ.

*Disquisitioni Philiatrorum exponet*

M. Christoph Friedrich Richter /  
Lips. Med. Baccal.


In Auditorio Majore.


D. u. Augusti 1699.

---

LIPSIAE,  
Literis FLEISCHERIANIS.







I. N. J.

§. I.



Ostquam in *Dissertatione secunda ac tercia* varia prudentiae & morum, quibus Medicus ægrorum confidentiam cum adstantium affectu sibi comparare annitatur, momenta recensui, restare videbatur moderamen ejusdem inter Medicos sibi associatos, & quomodo circa hos penes ægrum & circa hunc cum illis consultans se gerere debeat idem. De quo negotio nonnulla nunc edisseram, postquam quæstionem spinosam æque ac frequentem duplicem explicuero: scil. An consultationes inter duos pluresve Medicos è re infirmi sint? & an ab his celebrandæ?

§. 2. Commendat eas ægrotanti pariter ac Medico Hippocr. de precept. 7. his verbis: *Nec vero indecorum se ille geret Medicus, qui in rei præsentis angustia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente alios quoque accersere jusserrit, quo ex communi consideratione res circa ægrum inquirantur ac di- gnoscantur, & illi cooperatores fiant ad auxilii ferendi facul- tatem.* Nam in affectionis assiduate, augescente affectione, ob consilii inopiam, plurima ad rem præsentem effugiunt, seu, ex interpretatione Foësi & secundum ipsum magis contex- tum: *Ubi enim assidue urget affectio morbusque increscit, plu- rimæ in animi angustia, ad rem præsentem oportuna, elabuntur, i. e. negliguntur.* Quali effato tantum non omnes subscri- bunt Scriptores medici, v. g. *Zacutus Lufit. introit. ad prax.*

A 2

pre-

præcept. 20. Bartbol. Thurrianus Buliatr. i. cap. i. Botallus de me-  
dic. & agri munere §. 21. Septalius animadvers. I. §. II. & 12.  
I. C. Cloudinus de ingr. ad infirm. i. cap. 4. R. à Castro Medic.  
Polit 3. c. 3. Rejes Elys. camp. jucund. quest. 16. & Fr. Bossellus A-  
maltb. med. polit. appar. 3. cap. 18. atque 36. Nec practici reli-  
giosi ac prudentiores ejusmodi penes agros collocutiones  
unquam detrectant, aut horum, suæ curæ commissorum,  
desiderio hoc in passu facile abnuunt: i. e. si hi alias sibi præ-  
ter primum medicos accersere velint, tales prompte admit-  
tunt, & cum iis de morbo expugnando diserte ac amicè, in  
salutem eorum, concertant. Adiguntur etiam ad concilia  
ejusmodi per jusjurandum academicum publicum, qui gra-  
dum in Arte superiore ambiunt: & qui, ne laudem popu-  
li vanam amittat, & quo sapientia omnes alias antecellere  
videatur, in morbo gravi socium admittere refragatur, eum  
mortaliter peccare, i. e. culpam mortis & damni subsequen-  
tis gerere, cum Cari' Toleto Tb. Actius de privileg. infirm.  
part. 2. verbo Medici, a... Juxta Zaceutum Lusitanum autem l. a.  
qui alias ad consilium vocari non vult, is vult solus esse in praeseppe  
equus, quare à domo & cura explodendus: quoniam cognitio  
& curatio morborum res sunt difficiles; quare oportet, ut eorum  
veritas ex multorum voto elucescat. Imò Bossellus l. a. cap. 36.  
illi Medico, qui pervicacis, asperi & cervicosi in artis usu  
est ingenii, hinc consultorem parvi pendit & respuit, quam-  
vis utilia præstet auxilia, nullam esse præstandam fidem in-  
quit: ut enim deficiatis in huiusmodi actione, ob animi sui  
nimiam elationem, qua cæcutit judicium renuendo periti  
consilium; sic ob eandem judicii cæcitatem eum parum pro-  
ficere valere.

§. 3. Medicorum quippe consultationes, quales, cum  
Hesiodo, honesta certamina Galenus i. metb. med. i. appellat,  
magni semper ad artem exercendam ac juvandam mo-  
menti deprehenduntur: adeo ut, quemadmodum Philoso-  
phorum



phorum Veteribus Consilium *Divinitatis comes*, *Platoni Res sacra*, dictum fuit, ita in artis medicæ exercitio consultata probetur maxime doctrina atque peritia; i. e. Medicis non minus, ac ægris, salutares ac proficuae conciones ejusmodi eveniant, utpote quas necessitas ac usus & tum ægro, tum adstantibus, cum Medico, desiderata peperit tranquillitas. In specie verò occasionem & ansam illis subministrant, advertente *Bosello*, vel affectiones ordinariæ ac leviores Magnatum, divitum, delicatulorum, se plurimum amantium ac vitam magnopere zelantium, horumque timiditas; vel graviores ac pertinaces aut ingravescentes; vel ex Medici, ægrī, assidentiumve metu quæ tales reputantur, tametsi minoris momenti existant: in qualibus casib[us] singulis postulatur, convenit ac instituitur merito consultatio socia.

§. 4. Adeo ut, si in hanc prompte descendat Medicus ordinarius, obtemperantem magis se præstet ipsi infirmus: cuius obsequium quantum ad morbos sanandos conferat, præter experientiam ex Galeno *Dissert. 3.* declaratum fuit: non tantum, quod, dum consultatorium congressum desiderat, illum huic indulgentem maxime deprehendat, hinc salutis suæ cupidum æstimet; sed quatenus plurium consensu approbatis præceptis pariter magis auscultat, potiorumque spem de valetudine sua hinc sibi cum amicis atque adstantibus promittat. Neque hoc sine ratione & frustra, quod, sicut ubique, juxta antiquiora proverbia, ita in opere medico, *plus videant duo lumina, præ uno, Unus vir, nullus vir*, & secundum *Euripidem in Heraclid.* *unius manus invalida pugna, duorumq[ue] valentius q[ui] alacrius robur, sit.* Hoc est, dum penes jure consultos definitum legimus, in quibusdam casibus, in primis ubi de hominis vita quæstio est, uni soli iudici hanc non committi, sed penes plures remponi debere, nec sine consultatione talem decerni posse: cur in re medica, ubi pariter de hominis vita & valetudine agitur, nobis ali-

quando diffitentes, alios in consilium admittere, vel advo-  
care ambigimus? per quod nihilominus, seu differentium  
concertationes eruditas, veritatem erui, in proposito est:  
Tanta quippe ut plurimum mentis humanæ observatur im-  
becillitas, per quam ingenium sagacissimum quoque decipi-  
tur, hinc ægrotantium animus dubius aliquando hæret,  
annon aliquid præsidii suppetat, Medico ordinario mino per-  
spectum. Quod si vero à consultantibus pluribus nihil studii  
intermitti, omnes horum vires ad exponenda, quæ in sui salu-  
tem vergunt, certatim quasi, contendere, nihil sine prævia  
deliberatione sibi porrigi & administrari videant, percipi-  
antq; à priore munia medica secundum rectam rationem  
fuisse peracta: cum hoc tranquilliores evadunt, &, si ad vo-  
ta non sequatur sanitas, hic in primis à detractorum telis so-  
cia hac opera se vendicat.

§. 5. Nec ipsimet Medico indecorum ac servile erit,  
aliorum sententias & consilia audire iisque parere, utpote  
qui, consiliariis stipatus, majorem in medendo adhibet dili-  
gentiam, testes circumspiciens actionum suarum, hinc igno-  
rantiæ ac negligentiae severiores censores. Imò, notante  
*I.C. Claudino*, hoc solo consultandi munere à doctis medicis  
indocti discernuntur, seu eorum ingenium ac doctrina o-  
mnibus palam fiunt, imperitia eorum, qui pro doctis se-  
gerunt atque habentur, cum vafritie, quam fovent, dete-  
gitur: vindicatur autem ab insultationibus malevolorum  
aliorum peritia, modestia similesque mores honesti, qui ipsi  
ægrotanti confidentiam comparant. Dum illi dictorum  
& jactationum suarum rationem reddere nequeunt, de affe-  
ctus causa aut omnimode silent, aut inepte nugantur, indica-  
tiones incongruas formant, remedia irrita svadent, aut pe-  
ritiorum effatis cum rubore per singula subscribere & non,  
nisi stupidos assentatores se gerere, coguntur; aliquando  
etiam sermones cum eruditioribus habendos miseris ac ridi-  
culis technis subterfugiunt.

§. 6. Et



§. 6. Et non unius ejusmodi hominum memini, cuius arrogantiæ, garrulitati, pollicitationibus ac secretis fidem cum plebe adhibebant Magnates, eamque præ eruditioribus majorem, quorum nihilominus personatam peritiam, seu mavis imperitiam, unus vel alter ejusmodi congressuum manifestabat, & existimationi hactenus infinitæ atque invidiæ fatalis maxime contingebat. Quemadmodum nec talium deficiunt exempla, qui opinione vulgi hactenus inflati & animi justo elatioris, ruditatis nihilominus suæ probè consciæ, concionibus clinicis, plus minus callide, nec sine peritorum clandestino vilipendio, se subtrahebant etiam è longinquο hunc in finem vocati; ne scil. sub unicæ mox contentione se suamque doctrinam superficiariam turpiter darent, & vana, qua hactenus crepabant, vulgi opinio, in momento in vanum abeat, diffletur: ludibrio nihilominus infirmi & adstantium æque ac Medicorum genuincrum & ingenuorum se egregie exponebant, his occasiōnē simul porrigebant suam comprobandi peritiam ac existimationem, tenebrionum autem illorum inficitiam denudandi & levitatem corrigendi atque comprimendi.

§. 7. De cætero ipsa quoque necessitas seu casus difficultas aliquando adhibere jubet consultationes medicas, dum *unus non videt omnia*, sapientissimus quandoque sui obliviscitur, ac *ἐν πορίᾳ* interdum *ἀπόρια* patitur: adeo quidem ut ipsummet Hippocratem epist. ad Democrit. fateri non puderit, se quamvis senem, atque exercitatum, multa adhuc ignorare, & Fernelium de luis vener. curat. c. 7. scripsisse legamus: *Multa, crede mibi, deprehendes in rerum natura, si singula bene examines, in quibus cœcutire humum intellectum fit necesse*, ut aliorum Medicorum prudenter genuinas taceam infirmitatis suæ confessiones, *dissert. 3. citatas*. Culmen E. humanæ sapientiæ attigit ille, qui sapientiam suam suspectam habet, sibique persuadet, alieno se opus habere consilio: & in magnorum discriminum

angu-



angustiis, ubi propria consilia remedium morbo adæquatum haud porrigunt, prudenter aliorum implorantur suffragia, quorum nempe prudentiam in similibus, nedum difficilioribus, casibus approbavit experientia. Quandoquidem, sicut, juxta *Euripidem*, *victoria in bona consultatione posita*, & prudentis naucleri est, maximis in tempestatibus vectores quoque consulere: ita medentibus pariter consultatio, ex eruditione rerumque peritia plurium, eventum promittit salutarem. Aut, si quando demum medela forsan minus ex voto succedat, idem Medicus, consilii amans, frequentissimum vulgi sostrum, calumniam, declinabit commodius, perinde sc. ac, si convaleseat infirmus, honoris particeps est: ita ut, si quid humani accidat, cadaver facilis à pluribus ad tumulum deportetur, hoc est, levius maleficentium ictus excipient plures, & multitudini frequenter condonetur. Quod quidem circa Magnatum aliasque personas primarias, quibuscunque loquente *Salustio*, *opes in excelso sunt*, locum maxime obtinet, utpote à quarum morbis Medicorum etiam circumspectorum satis, fama plus periclitatur, plus obloquii hos fatigat.

§. 8. Quibus non obstantibus quibusdam Medicis exosæ valdè sunt ejusmodi conciones, fastu & arrogantia tumultibus & præ avaritia anhelantibus; ne futilem forsan famam & quæstum sordidum periculo exponant: adeo ut rogante aut jubente etiam ægro alios in curatione sibi adjungi minimè patientur, sed hos ad internacionem ejus ab hac variis machinis excludant. Quidam enim ex illorum classe producent, qui, quod de Poëtis & Oratoribus *Cicero* enunciabat, neminem quemquam se meliorem arbitrantur, i.e. sibi arroganter plus, quam par est, fidunt, & cunctis casibus arduis se sufficere sibi præsumunt, aliorum etiam consilia contentiose reprobant, nulla alia intentione, quam ut hos supplantent & per horum depressionem ac contemptum sapientiores astimem-

æstimentur. Alii, ne ruditas eorum elucescat & in derisum  
veniat, socios sibi accersiri renuunt; quo tamen commen-  
to eandem non raro detegunt, quemadmodum superius in-  
nui: ut asserere ausim, plerosque medicorum, qui consi-  
liarios abhorrent, præter ignorantiam nihil sapere seu ole-  
re. Quos nihilominus ineptos non minus ac audaculos fa-  
cessere jubeo, utpote sub quorum dictatura ægri non tam  
moriuntur, quam occiduntur: & per consequens rebus su-  
is & ægrorum male consulit, qui consultationes cum aliis  
detrectat, saltem ut arrogantiam suam fructuosorem red-  
dat, vel ruditatem, quæ aliorum doctorum admissione,  
cum emolumento decumbentium haud mediocri revelare-  
tur, occultet, hujusque pedissequam, ludibrium nempe,  
declinet; non enim existimationi, non quæstui, sed salu-  
ti ac vitæ hominum, est litandum, quæ nullo auro redimitur  
semel neglecta. Et si, quæ à Majoribus, vel sub præceptorum,  
vel observationum & historiarum, vel consiliorum, nomine,  
tradita Medicis non tantum initiatis, sed in arte quoque per-  
fectis ac expertis, in consilium adhibere valde necessarium  
& proficuum est, & casus nobis obvenientes ad casus, literis  
**Antecessorum consignatos**, metiri jubemur & quotidie so-  
lemus: cur unius alteriusve Collegæ & Consultatoris vivi  
consortium tantum abhorremus, à quo non minus lucis re-  
bus cognoscendis ac faciendis consequi datur?

§. 9. Contrarium equidem nonnulli asserere conan-  
tut, temnunt ac damnant, tanquam inutiles, supervacane-  
os & tantum non exitiosos, ejusmodi congressus, v.g. *Cassp.*  
*Caldera de Heredia tribunal.med. polit.lib.1.tit.15.* & *Ged. Har-*  
*vey artis curandi morb.expectat.cap.25.* Quorum prior Me-  
dicorum congeriem veritatem confundere scribit, i. e. pa-  
riter, ac lapidum congeries altitudinem quidem geometri-  
cam seu acervum ingentem condat, non unitatem physi-  
cam, sic ingeniorum consultantium multitudinem haud

unum facere egregium, imò se mutuo impedire, non juvare; seu, ut aliis loqui placet, ubi multa judicia, ibi majorem deprehendi confusionem. *Posterior* illum, qui unius Medici consilio utitur, Medicum habere, ait, qui duorum consilio potitur, dimidiatum tantum, qui trium operam sibi admovet, nullum omnino Medicum habere. Quibus jungere quadrat *Rhasin* ac *Damascenum*, eum, qui plures consulit Medicos, in errores singulorum incidere, differentes: sicut *Plinius* pariter, dum 29. *Hist.nat.* i. miseras circa agros sententiarum concertationes, & infelicem monumenti *Cesaris Adriani* Inscriptionem illam ait, qua Turba se Medicorum periisse innuit idem ipse, quem morti proximum *Dion* illud Menandri recitasse perhibet: multi Duces Cariam perdiderunt, multi autem Medicis perdiderunt Regem: ac demum *M. Verinum* & *Joh. Ovvenum*, Poëtas celebres, ita ludentes:

*Impediunt certe medicamina plura salutem,*

*Non plures Medicis sed satis unus erit.*

*Nunquam, credemibi, à morbo curabitur aeger,*

*Si multis Medicis creditur una salus.*

Cum in primis paucissimi decubentium atque adstantium judicio in tantum polleant, ut, utri alter cantum Medicorum fidem præstent, norint: quin potius in feligendo atque dijudicando fallantur sæpen numero, cuius concertantium præceptis & consilio inhærendum sit, hæsitent, eorumque animus hinc inde fluctuet.

§. 10. His tamen, si de honesto, seu de eo, quod fieri debebat, agatur, minime subscribo, utpote maximam partem, si non garrula magis & soluta loquacitate dictis, pravorum Medicorum tamen tantum malignitatem exprimentiibus & ex vulgi potius præjudicio ac virulentia profluentibus, quam veritati per omnia consentaneis. Improbare & reprobare recitata similiaque effata videntur disceptationes illas Medicorum quorundam contentiosas, aut mavis aniles,

quæ



quæ ad eundem & salutarem scopum nunquam collimant, seu in obeundis consentiunt: sed jurgiis tempus consumunt, maximam interim ægropariunt molestiam & fastidium, timorem incutiunt, ejusque animum magis, quam morbus, perturbant, hujusque vitam, quam brevem dixerat Hippocrates, suis litibus, advertente Petrarcha, brevissimam faciunt; ut non incongruè tales contentiones Chrysostomus certamina desperata appellari.

§. II. Quatenus horum, qui conveniunt, singuli rubore perfunduntur, quinimò excandescunt, si opinione sua cæteris non prævaleant, paradoxa licet: pertinaciter & ita à se invicem dissentunt, ut nec pares, nec superiores, ferre queant, nullusque eorum citra exceptionem, additionem, detractionem, permutationem similemque cibrationem commendatum, à Collega præsidium comprobet, nedum laceret ac mordeat; ne nimirum hoc non doctior ac peritior videatur. Id est, inter se frivola potius ostentationis gratia & per levitatem illam, quam animi immoderatior elatio peperit, concertant, quam in ea disquirunt, quæ infirmo salutem præstent. Sic cum juniore & minoris adhuc famæ concurrat senior ac celebrior, quamvis ille & ægri, & veritatis, magis amans sit, mentisque acumine, studiis & opere hanc longe superet: hic opinioni vulgi & quod verbis suis, velut ab oraculo productis, undique credatur, nimis confisus, de junioris rite ac perite peractis male sentit, &, quasi inepte ac sinistre medelam hic hactenus administrarit, mordicus pandit. Quamvis eodem arrogantiæ vitio laboret aliquando junior, à versatili forsan sua lingua aut credulitate de se stolida seductus, ut cum seniore in concionem vocatus, hunc ingenii effœti & torpidi, item morositatis, clanculum maligne satis proclamet, eo plus sapere temere sibi persuadeat huicque quam impudenter ogganniat. Quando demum pares congregiuntur,



neuter alteri cedit, non pari tantum se pollere doctrina parique judicio uterque arbitratur, sed ingenio ac peritia alter alterum antecellere opinatur, eique ne latum unguem cedit: hinc fideliter ac congrue ab hoc proposita remedia renuit, invalida autem & minus oportuna, æmula potius mente, quam pro affectus conditione, illis substituit.

§. 12. Atq; hæc est illa Medicorum congradientium invidia ac pervicacia, quam Doctorum ingenuorum pleriq; vituperant, vituperant quoque, annotante *Rejes*, *Damascenus* aliiq; illum ægrorum pessimum & valetudini propriæ exitiosum maxime morem, quo à diversis medicis pariter ac medicastris seorsim, quid facto opus sit, inquirunt, seu cuivis idiotæ palæstram, peritiam imperitiamve suam tentandi, corpora sua concedunt, hinc omnium aut plurium illorum præpostera præsidia, quæ morbo hujusque circumstantiis non satis perspectis illi commendant, adhibere non verentur: minime vero laudabilem illam consultandi consuetudinem, qua ægritudines accuratiore ponderantur trutina, inquirunt in harum causas, colliguntur signa, ut auxiliū inventio facilior evadat. Quemadmodum *Plinius* itidē superius allegatam Cæsarī monumenti inscriptionem miseram ait, non quod plurium Medicorum congregationi valetudo ejus commissa, sed quod eādem de illorum prolixis & infinitis concertationibus conquestus fuerit defunctus: *nullo* videlicet eorum, *idem censente*, *ne videatur accessio alterius*.

§. 13. Et hos perversos mores, quos in ægris æque ac Medicis quibusdam hodie experimur, emendare, fragilitatem humanam longè superat, consilia interim indifferenter cum aliis conferre, vix semper æque consultum jubent, & congressus medicos aliquando declinare urgent. Quatenus, perhibente *Harvey* l.a. plusquam evidens est, timorem ac diffidentiam binos illos frequentiores existere aculeos, qui infirmum ad duorum pluriumve Medicorum convoca-

tio-



tionem stimulant. Addo, adstantium insuper ineptum in illum affectum & ejus sanitatem juvandi præcocem cupidinem, non raro adulacionem, interdum in Medicum præsentem seu ordinarium eorum odium, in alium quoque magis amicam & necessariam propensionem, tale quid machinari, ac priorem cavillando, posteriorem miris & stultis aliquando encomiis extollendo, omni de reliquo sana ratione posthabita, ad consultationem, infirmo minus proficuam, si non lugubrem, postulandam hunc laceffere: ut de ejusmodi impetuosioribus stimulis adstantium sollicitatoriis penes amicos alios & ipsum Medicum ordinarium interdum animo ac vultu ingenuo conqueratur miser, **Sie haben mir nicht eher vom Halse gelassen / bis x.** Unde medicus prior seu familiaris, si ad congressum ejusmodi ingrate, indigne, præ turpi metu vanaque diffidentia, aut per merum sui vili-pendium & existimationi subtrahendi libidinem, adigatur, famæ suæ non minus conservandæ ac conscientiæ obstrictus, haud injuste incandescit, & frivolis ejusmodi technis inique ferendis, quia homo, vix undique par observatur; hinc in fervore seu virium contentionе, salutem decumbentis recuperandi, tepescit ac languescit: sicque patiens intempestivæ suæ diffidentiæ, adstantes suæ perversitatis ac blanditiarum, poenas luunt, usque dum utrosque poeniteat præcipitantiæ suæ, ut plurimum sero satis sapiant; præprimis si accessorium, & in quem omnem valetudinis spem collocauerant, imperitum officioque desiderato minus invigilantem experiantur.

§. 14. Generis hujus lepidam observationem superiore anno relatam debeo cuidam Amico, qui cum Medico alio juvenem Generosum, variolis haud adeo graviter decubentem, ultra octiduum visitarat, omnibus bene satis succedentibus & papulis jamdum, exarescentibus. **Advocat nihilominus Parens stolide diffidens ex urbe vicina Medi-**

cum tertium, quem socium in arte iusoria fidum ab aliquo tempore noverat, prioribus duobus insciis, qui horum mendendi rationis censorem ageret. Ast advolans hic ægritudinem ac ægrum eo usque abhorrescit, ut conclavi hujus introductus, profugandis tetris seu consuetis variolarum exhalationibus, januas ac fenestras aperire jussit, intrarit ut exiret, hoc est, fugitivo satis talo infirmum visitarit atque reliquerit, huncque & Parentem spe infallibili fere fefellisset, nisi chartæ versicolores Medico & Parenti pallidum excusissent metum.

§. 15. Et quamvis, ut vel ex proxima relatione innoscit, ut plurimum Medico priore de hoc minus salutato ejusmodi consultores socii seligantur & advocentur, seu illi ex improviso, sub variis technis, obtrudantur: nollem tamen ulli, si de adjunctione ejusmodi, plus minus amice, postuletur, facile svasor esse, vt vel rudioris adjungendi personam, vel ipsam combinationem, renuat, aut quovis modo de his ambigat, nisi hominem morosum, inhumatum, invidiosum, arrogantem &c. se videri quis malit; ipse que congressus, ut superius monui, peritum ab imperito discernet, & consultationem ejusmodi præter ac aliquando contra omnem rationem expertes, quam inepte ac male sibi suisque consuluerint, eventus docebit.

§. 16. Porro Medicorum quorundam, præter ordinarium introvocatorum, non unius generis observatur protervia & malignitas, per quam eorum alii, ad infirmos quamprimum ingressi, elata satis fronte ac supercilie, & per modum tentaminis scholastici, quis morbus, quæ hujus causa, qualia remedia, quando &c. adhibuerit, ab illo scisciant: minime eum in finem, quod erudiri de his gestiant, aut quo opem ferant ægrotanti promptiorem, sed ut peritiam suam fastuose ostentent, & de hoc contemptus sibi sub primo morbi insultu facti, seu sui præteritionis, atque de priore

priore Medico, se insalutatis vocato ac medelam hactenus faciente, vindicias oportunas sumant. In cuius opiniones proin insultant, in consilia sœviunt, remedia cavillant, ruditatis eum plus minus directè insimulant, omniaque hujus dicta atq; facta errori vertunt, optime forsan ac peritè gesta.

§. 17. Expertum audiamus, & ab ejusmodi male feriatis hominibus quid ipsi contigerit, enarrantem *Freitagium noct. medic. cap. 15.* Sc. ægros morbis ægrè sanabilibus, perniciosis aut chronicis affectos cum tractaret, suo consilio & rogatu alios frequenter advocatos fuisse, qui nihilominus ut soli lucrum & honorem aucuparentur, ipsum aliosve, qui manū primam admoverunt, morbum non intellexisse, errasse in causa, methodo, remediis, ut se eveherent aliosque eliderent, clanculariè instillarint: quamvis, cum alio filo stiloque curam pertexere fatagerent, tantas æmulationis & virulentiaæ suæ pœnas dederint, ut vel ægri rem deteriorem reddiderint, vel ex rebus humanis omnimode hunc exemerint; ipsi interim, propinquis aliisque assidentibus fugesserint, si maturius vocati, vel statim cum prioribus accessissent, se illum artificiose ac feliciter sanaturos fuisse. Quale quid si cum Freitago experiantur alii, haud mirum, si de pristino medendi studio remittant, nec illis conviciatoribus de salute infirmi adeo sollicitis, sed hujus interitum alteri vitio ducentibus: aut, si illi suam existimationem ab horum conviciis vindicare annituntur, probris ac dicteriis magis, quam honesta concertatione, se invicem exagitant & pertinacius justo contendunt; hinc in desperationem non solum ægrotantes agunt, sed vulgi quoque derisi utrinque se exponunt: aut, ut hoc callidius evitent, perfuntorias satis operas decumbentibus præstant, hinc sibi ab blandiuntur, quod communi opera peractum, à nemine facile taxari, quinimò ab omnibus non, nisi approbari, posse.

§. 18. Alii contra Medicorum, priori officiorum necessi-

cessitudine aut pacto nefario devincti, vel quacunque de causa huic ad gratiam loquentes ( quales communiter confarreati audiunt ) ridiculos se hujus gerunt assentatores, ac inter consultandum ab ejus autoritate seu nutu in sententiam perversam quoque, trahuntur, sperantes, ut inquit *Caldera de Heredia* l.a. sub imperio tali regnare, i.e. ex favore ejus, cui adulantur, famam majorem, si Diis placet, sibi promittentes. Quare omnia Prædecessoris consilia ac præsidia, quasi rite & secundum artem adornata, ut ut satis inepta, rata habent, imo eadem, in arbitrii sui testimonium, simul jubent, unam vel alteram tantum forsan medicamenti spe ciem commendatis ab illo, v. g. Scolopendrio Fumariam, Ebori Corallia, Carduobenedicto Centaurium, addendo vel substituendo, aut enema, sacculos ad pulsum &c. cœteris remediis combinando, aut quamvis exigui vel nullius momenti circumstantiam circa medelam immutando: ut ille officio hoc adulatorio ad paria obligetur, ægro tamen hujus ve amicis non solus sapere credatur. Allotria interim dum ambo tractant, garriunt, scurras agunt, fabulas narrant, à congressibus ejusmodi parum emolumenti in illos, qui opem efflagitant, cedit, & horum saluti pessime consulitur. Uno verbo, quemadmodum, juxta *Ptolomæum centilog. sent.*

12. amor odiumque, ne vera eveniant judicia, prohibent, agent siquidem minima, & maxima minuunt: ita à Medicis minus conscientiosis, in consilium vocatis, sive sibi amici & familiares extiterint, sive simultates inter se alant, non leve aliquando imminet periculum.

§. 19. Neque desunt consultantium tales, quorum præsumtio & arrogantia cœteros Medicos in suam sententiam, speciose magis, quam verè allicere satagit, adeò ut aliquando, pro horum simplicitate & illorum astu, disceptatores momentum quæstionis vix attingant, illi callidæ eloquentiæ aut mavis garrulitatis fuso imperitiam suam in crustent

crustent & veritatem violentius distorqueant, terrorem cœteris incutiant, hocque autoritatis peculatu eis, nolentibus volentibus, facile etiam absurdā persuadeant. Quemadmodum nec infreuerter evenit, ut consultationibus ejusmodi intersint Medici, quorum ambitio & malevola lingua illos potissimum, qui extra eorum sodalitium seu gregem sunt, de industria & merō contradicendi œstro, in cervicofas & absurdas opiniones rapiunt ac dirimunt: pariter in ægri perniciem, qui nihilominus ab Iatrobulia ejusmodi salutem certam sibi ominabatur. Ne referam, quosdam horum congregatorum, ad solam sui ostentationem, quæstiones atque disceptationes philosophicas, astrologicas, anatomicas &c. coram ægros inutiliter movere, ex astris de morbi natura, causa, prognosi & medela divinare, tanta aliquando cum ambitione, ut alios, ipsis eruditione longè superiores, in his ignorantiae insimulent, ipsi ut plurimum rudissimi, ne circulum in sphæra dignoscentes, qui que nec cadaveris sectioni unquam interfuerunt: ut in eum, cuius gratia fit consultatio, pariter nihil, præter molestiam, redundet.

§. 20. Demum vero quandoque posterior Medicus, seu ordinario lateranus constitutus, omnium existit imperitissimus, quem scilicet non doctrina, sed plebis opinio, Medicum reddit, qui que per ignorantiam spectatus consilium suggerere præsidiumque efficacius porrigere nequit: qualis nihilominus, ut Medicum (hystrionem potius) se præstet, de morbo & hujus causis chimæras ex hypothesibus alienis sibique ignotis format, Lympham acidam, tubulos nervorum, bilis alcali aut circulationis sanguinis moras accusat, qui nec terminos hos capit, incidentibus, aperientibus, resolventibus, deobstruentibus (quasi hæc non unius generis forent) præcipitantibus, absorbentibus fixis, terreis (itidem æquipollentibus) rem aggrediendam differit, ex faragine tandem simplicium & compositorum prolixorum

C

novas



novas decompositiones cudit , an scammonium sulphuratum , an rosatum , an diagrydium præstet , pertinaciter disceptat , aquam Cardui benedicti aquæ florum Sambuci præfert , aut adfundere strenue urget , Helleborum nigrum præ Rhabarbaro splenem , hoc præ illo epar , evacuare , acriter propugnat , & in similibus de lana caprina decertationibus cum magna pompa dum tempus terit , occasionem oportune agendi frivole prætermittit , nærias interim , nescio quas , conglomerat , qualium nonnullos *Harvey l. a.* recenset . Dum v.g. lis inter duos per horam unam alteramque agebatur , num in affectu cerebri mel enemati addendum foret simplex coctum , an anthosatum ? utriusque partis argumentis auditis , mellis simplicis , quasi magis stimulantis , usui suffragabantur plures , ad rationem de virtute cephalica anthosati , lato responso , quod naribus potius , quam natibus , hoc prodeisset . Cujus etiam generis est rixa , inter quosdam fama præclaros Medicos ad fustium usque collisionem mota , de pomo in escam patientis communi opera præscripto : num sub cineribus , viteo folio , an papyro fusco , obvolutum assandum sit ? longo encomio altero eorum commendante vitis foliorum dotes , in pomum transferendas .

§. 21. Jungo his morionibus illos , qui communi consilio commendatum & ab alterutro sociorum in chartam conjectum remedium , sub Formulae seu Recepti nomine , vel cæteris recognoscendum ac videndum , nescio , qua animi submissione ac sui diffidentia , porrigunt ; vel ab altero conscriptum , censorio quasi oculo , videre gestiunt & monstrari sibi postulant . Quamvis prius quoque nonnullos eum in finem agere , palam sit , quo ex assensu seu approbatione cœterorum aliquid inanis gloriae captent : sicut posterius prætendunt , qui aliis peritiores videri malunt , hinc sibi temperare vix possunt , quin v.g. Salic communi sal Gemmæ substituendum advertant , Antimonio diophoretico Bezoar-

zoardicum minerale magna emphasi surrogent, nugentur.

§. 22. Et hujus generis concertationum anilium ac cachinno dignarum plures enarrare lubens abstineo, ne unus alteriusve hominis stolidioris ineptias innuendo, totum ordinem artemque ipsam ludibrio multorum, prudentum æque ac imprudentum, exponam. Neque facile mihi persuadere possum tantam unquam Medicorum collatitiorum temeritatem, qualem idem *Harvey* commemorat, & per quam junctim, quod eorum singuli seorsim, ne existimationi suæ labem affricent, tentare nullatenus audebant, remedium, aleæ maximè dubiæ, experiri minus verebantur: v. g. dum Mercurii dulcis drachmas duas quotidie bis, per aliquot dies continuando, duorum vel trium Medicorum catervula diversis infirmis exhibuerit, usque dum horum ferme omnes consultorum suorum ausus octavo vel nono die morte expiaverint. Cum Scriptoris nihilominus hujus allegati capitis epilogo atque suspirio & ego argumentum hoc in præsentiarum finio: à *Consultatione Medicorum confarreatorum* libera me omnesque probos Domine.

§. 23. Quos omnes ac singulos mente sincera monitos cupio, ne adeò facile in Consultationes parandas se abripi patiantur, aut in has inconsideratiūs ruant, ob incommoda prænarrata, certo certius ut plurimum hinc metuenda: si in primis Medicum familiarem eruditum specimina publica, fidum industria, testentur. Aut si forsitan quis in hoc levitatis inciderit, ut hujus doctrinam & peritiam suspectam habens plurimum consultatione gaudeat, eum potius omnimode dimittere, aliquique, cui libentius se fidat, valetudinem concredere, non adeo absone jubet *Harvey*. Aut, si nec hac ratione sibi satisfieri autumet, morbus inducias ferat, & cæteræ circumstantiæ permittant, eodem Scriptore monente, seorsim accersat Medicos diversos, qui de morbo, ejus causa, medendi ratione & remediis separatim sententiam su-

am hujusque argumenta in chartam conjiciant: qualia aut Medici sui ordinarii, aut huic subordinati, eruditi nimirum ac probi, censuræ approbanda, rejicienda feligendave subjiciat, & in hoc demum dictorio: *contra vim mortis non est medicamen in bortis*, patienter acquiescat.

§. 24. Quemadmodum nec ulli prudentum ac generosorum Medicorum in malam partem interpretari possum, si congressibus ejusmodi aliquando se subducatur: sive medelæ primus extiterit administrator, sive huic combinandus fuerit; non ut pertinaciter eos renuat, sed potius omnimode secedat atque à cura abstineat. Hac enim ratione non habebit æger, ut de cervicositate illius conqueratur, dum huic de peritia ejus diffidenti, liberior conceditur occasio, quoscunque alios Medicos, sibi peritiores visos, advocandi horumque dexteritatem & fortunam experimentandi. Habet hujus subterfugii causas uterque communes, habent singuli eorum peculiares, cunctas, ut credo, sonticas satis, & quas cantilena illa inepta, quasi per conscientiam omni infirmo, medelam postulanti, omnis medicus obligetur, haud solvit.

§. 25. Hujus loci videlicet facio ex *Dissert. 2. §. 33. & 34.* nec per naturam, nec legem, nec contractum teneri hunc, ut operam cuivis petenti præstet, & confidentiam ægri solitariam medicum haud obligare, sed ad commode medendum inter hunc & illum reciprocum exigi: nisi servos Romanos seu mancipia nostrates quoque Medicos velimus. Hinc non apparet, quid Medicum ægro, qui diffidentiam in eum collocat, seu invito & respuenti, ministrare urgeat; cum præter confidentiam nihil habeant, quo Medicum vocatum ut accedat & permaneat, obligari, afferunt: cessat E. hujus pronitas & obligatio, si hæc unquam extitit, vacillante ac cessante ægri fiducia, seseque exerente aliqua averstatione. Nec in ejusmodi meticulosis ac diffidentibus parum, quod timeat,



timeat, habet posterior postulatus, incertus, annon, ut communiter fieri solet, cæco tantum ac præcipitante affectu, & ab assidentibus solum persuasus, seu tantum non (ut contigisse memini) coactus; an potius ex confidentia rationi innoxâ, æger ejus consilium & assidentiam postularit: sub quali ambiguitate ipsi suspicari relinquitur, ne sibi idem cum priore immineat fatum; i. e. ab infirmo, morbi & moræ pertæso, ingrate, nec sine conviciis æque præcipitanter dimittatur, ac accersitus fuerit. Præterea nemini Medicorum vitio verti potest, si famæ suæ parcat, neque cum morosis tergiversatoribus, magniloquis, malevolis, imperitis sibique infestis ac insidiosis rem facile habeat, & collisiones ancipites subeat, fidem ægri evidenter concutientes. Quod quidem sine ulla conscientiæ nota agere potest, in locis præprivatis, ubi Medicorum numerus luxuriat.

§. 26. Polliceor nihilominus mihi à quolibet Medico ingenuo ac pio, eum, si in quam inciderit rem arduam magis, alium, ab ægro & adstantibus advocatione, non alacriter duntaxat admissurum, sed ipsummet socium postulaturum, talem nempe, qualem *Dissertationes superiores* definiverunt: sic enim non tantum conscientiæ suæ consulet, sed minus secundum artem administratæ medelæ quoque declinabit suspicionem. Hæreo siquidem, an secundum R. à Castro unquam prudenter faciat, alium qui non admittit, etsi morbum hujusque causam quam optime dignoscet, ac creberrima licet experientiâ rationem ipsi medendi compertam habeat: modo hic difficilior fuerit ac remediis admotis minus cedat, patiens verò, moræ impatiens, socium desideret Medicum. Quamvis generosior illa ingenuitas non raro impotentia arguatur, & vitio ac ruditati tribuatur, quod prudentiæ ac virtutis opus. Quo proin in ejusmodi tentationibus se vertat Medicus, non tam regulæ limitatæ, quam conscientia ac sagacitas eum docebunt.

C 3

§. 27.



§. 27. Congressus interim ejusmodi adornari debent  
tempestive, seu antequam decumbentis salus desperata pla-  
ne evaserit: perinde ac advocandorum insimul accuratior  
semper habendus selectus; cum sola plebis opinio fiduciaria  
arbiter hujus negotii ardui haud perspicax satis videatur.  
Nimirum, qui accersitur, Medicus ante omnia priore, si  
non peritior ac celebrior, certè huic par, sit: à minorum  
enim gentium homine parum emolumenti sibi polliceri  
poterat ægrotans; ut mittam, associationem junioris mi-  
nusque exercitati priorem peritiorem, quasi vilipendat, ad  
indignationem usque laceſſere. Deinde advocetur mori-  
bus honestis præditus minusque contentiosus: ac denique  
priori gratus seu minus infestus. Cujus posterioris ad mini-  
mum circumstantiæ intuitu honestius & prudentius agunt in-  
firmi atque horum necessarii, si prius de advocandi persona  
cum hoc conferant, eive, cæteris paribus, optionem con-  
cedunt; aut contra ejus nutum haud agant.

§. 28. Modum congregandi quod spectat, recte  
cum *Septalio* & *Zacuto Botallus* consultationes clinicas seor-  
sim ab ægro omnibusque arbitris seclusis celebrare jubet:  
quo liberius undique edisserantur sententiæ, atque à priore  
Medico acta aut à quovis Collegarum prolata, si quando cor-  
rectione indigeant, sine nota ejus ignorantia, commodius  
corrigi, ejusque argumenta oportunius dilui valeant. Qua-  
les admonitiones ab eodem facile quoque admittentur, dum  
contrà, si coram ægro & auscultantibus domesticis aliisve  
imperitoribus ejusmodi concertationes fiant, sua mordici-  
tus & pro vindicanda autoritate defendet quilibet; ne, in-  
primis si tristior superveniat eventus, hic illi in acceptis re-  
feratur, aut perpetua postmodum inter hos Medicos ala-  
tur dissidia. De quo etiam Magistratum Mediolanensem e-  
jusdemque urbis Collegium Medicorum lege publica pro-  
spexisse, *Septalius* perhibet, sc. ne consultationes medicæ  
publi-



publice haberentur: siveque inter Medicos vastæ ejusdem civitatis numerosiores tantam huc usque conservatam fuisse concordiam, ut inter multos vix unum unquam reperire contingat, qui alium ad congressus medicos non prompte admiserit.

§. 29. Accedit, rerum medicorum ignaros auscultatores semper aliquid, quod Medicarum consiliis, si non diserte, certe mente, temere addant, in his minuant, damnent, pervertant, convientur, habere, saepeque his suis nugis majorem præ sapientiorum sententijs fidem postulare; potissimum si præsidia instituta & applicata morbum non statim solverint, aut si hic male cedat, & mors forsan superveniat, eventum hunc pravum in illum rejicere, qui vel remedium proposuit, vel pertinacius defendit. Aut si Medicorum collegiantium aliquis nimia gloriæ cupiditate turgeat, metendum, ne is elatior atque protervior evadat, ubi corona auscultantium se stipatum viderit: ea damnans, quæ ab alio minus inepte dicta fuerunt, & sua tantum extollens, neque argumentis evidentioribus cedens, sed nugis prolixis tempus conterens. Quamvis *Botallum* indulgentiorem paulo in hoc deprehendamus, unum alterumve ex amicis sapientioribus (non ex plebe rudiore & aniculas) cui ægrotus curæ sit, inter consultandum dum admittit: qui nimirum testetur, omnia à congradientibus secundum artem prolata & ex concluso majorum acta fuisse. Quod circa Magnates maxime observari debet, quorum non tam illos, qui horum infirmitati, adstantium seu ministrantium nomine, præsto sunt, quam Consiliarios, & horum quidem intimes, ac qui Principis & Reipublicæ saluti excubant, cum veneratione admittere, observantia atque pietas jubent.

§. 30. In specie ægrum concertationes ejusmodi attendere, non adeo congruum videtur, quo sc. quisque concertantium sententiam suam, potissimum ratione prognoseos,

fatis

satis libere exponere queat, neque ex iis occasionem contristandi captet ille: vel ingrata dum audit, vel differentium mentem haud recte comprehendit, sibique perverse applicat, ut *Dissert. 3. §. 20.* cautum fuit; neque tamen à sperandis animus ejusdem intempestive efferatur, hinc monitis ac præceptis medicis minus obtemperet. Quibus addendum, quod salutari nonnunquam fraude & fructuosa deceptione ægrorum teneritudini ac erroribus subvenire cogamur, adeoque hos optima quandoque celare remedia, sana ratio jubeat, nisi forsan illi ex sagaciorum genere fuerint, quos nihil vetat discursibus ejusmodi interesse; si præsertim animi præsentis magis eosdem noverimus, vid. *Dissert. all. §. 28. 29. Et c.*

**E**ccl. 23. ac 24.

§. 31. In ipso autem congressu audacter quilibet expōnat id, quod artis & conscientiæ dictamen differere, facere & non facere, jubet: adeo quidem, ut à prædecessore socio prolata atque acta haud simpliciter approbare teneatur, aut de his nihil omnimode dubitare prohibeatur idem, ne hujus forte indignationem incurrat meliora perspiciens. Ab aliis contra sententiam suam quæ referuntur, cum ratione refellat, aut iisdem subscribat: hoc quidem sine invidia atque æmulatione, illud benebole ac modeste. Altercationes quippe tales amicæ casum præsentem exactius discutiunt, & veritatis quasi ventilabra sunt: ac oportet, juxta *Plutarchum de aud. pœt. epist. 19.* non timide, velut in templo, omnia horrere, omniaque superstitiose revereri, sed de eo, quod decet, ac rectum est, libere atque intrepide pronunciare; modò nostra non pertinaciter amemus, quin à Collegis salubriter suggesta, si veritati consona, his non anteponamus, aut nostra dicamus. Breviter, differente c. S. Thoma *Boudevyn. ventilabr. medico - theolog. part. I. quæst. 50.* Contentio, qua impugnatur veritas inordinato modo & intentione prava, peccatum mortale est, at contentio, qua debito ordine

ordine ac modo impugnatur falsitas , summe laudabilis vide-  
tur: quatenus non quævis discordia vitio verti debet, quin  
potius, si per eam mala concordia & collusio , sive ex mera  
malitia, sive ex ignorantia, orta, auferatur, laudem mereatur.

§. 32. Ipsum differendi concertandive moderamen seu  
methodum quod spectat , consultandi seu collegandi artem in  
morbis ad Chirurgiam pertinentibus in tractatu peculiari pro-  
mittit Matthæus Rossius, promittit, non præstat: i.e. plus hu-  
jus argumenti tenet libelli illius titulus , quam contextus.  
Plenius ac planius hoc egit Thurrianus per totam suam *Fatrou-  
buliam* , imprimis hujus lib. 2. & ejusmodi exercitationis  
exempla diversa lib. 4. subnectit: quemadmodum pariter I.C.  
*Claudinus de ingr. ad infirm.* lib. 1. cap. 4.5. &c. quale quid pari-  
ter tentavit Rod. à Castro & Réjes l.c. Quorum tamen sin-  
gulorum præcepta quia superflua & incongrua comple-  
ctuntur , hinc inde satis imperfecta deprehenduntur ,  
non possum non ablegare Medicum tyronem ad metho-  
dum generalem, quam ars cogitandi ac differendi cum pru-  
dentia morali eum docent: i.e. medice ac modice, seu secun-  
dum requisita in *duobus proximè antecedaneis dissertationibus*  
enarrata , & in *subseqq.* tradenda, mentem suam, sive consen-  
tientem, sive dissentientem, sociis exponat: exercitatori ve-  
rò præter studium humanitatis sociosque non tam increpan-  
di, quam informandi, nihil, quod commendam, suppetit.

§. 33. Ratione posterioris equidem in praxi aliquando  
contingere observatur, ut Medicorum nonnulli, quæ sibi se-  
creta servant, remedia inter consultandam propalare nolint:  
quod tamen sicut consultandi scopum maxime evertere cre-  
ditur, quatenus ignotorum virtus sub deliberationem venire  
nequit, hæcque à Collega, quem latent, sine simplicitatis ac  
temeritatis nota nec approbari, nec repudiari, valent; ita  
nefarium atque impium ajunt, qui aliis conscientiores au-  
dire malunt, i.e. sub conscientiæ forsan prætextu illis laboris  
ac industriæ propriæ fructus eripere contendunt, à pietate  
ut plurimum quam alienissimi & conscientia omnimode

D

exuti:

exuti: Promachos gloriantur Mich. Savanarola m tr. b. c. i. de  
ægritud. capit. & Renat. Moreau. Schol. Salern. c. 37. illos, qui ar-  
cana medica subticeant, & non omnibus revelent, peccatum  
in Spiritum Sanctum committere, asserentes: item Theopb.  
*Spicelium* dum de infelic. Literat. commone f. 23. §. 8. pudendum  
tenacitatis & avaritiæ medicæ genus ait, si Hygeæ alumni  
εὐρήματα sua communi utilitati neutquam consecrata ve-  
lint, sed absconditum velut quempiam thesaurum, diligent  
studio collectum, sibi servandum ducant, vix ulli mortalium  
usui futura. Provocant denique in *Scribonium Largum*, gen-  
tilem Scriptorem, & in prefat. ad Caj. Jul. Calistium ita dis-  
serentem: Qui experti sunt remediorum utilitatem, denegant  
autem usum, valde culpandi sunt, utpote qui crimine invidiæ  
flagrant; quod malum præcipue Medicis invisum esse debet, in  
quibus nisi plenus misericordia & humanitatis animus est,  
omnibus hominibus invisi sunt. Quibus ad stipulatur fami-  
geratissimus Abasv. Fritschius Medic. peccaminos. conclus. 21. per  
argumenta, ex pia non minus Jurisprudentia hujusque Legi-  
bus, ac ex Codice divino & charitatis christianæ postulatis  
petita: nimirum *Hominis interessé*, beneficio hominem affici;  
*Nos non solum nobis, sed & Patriæ, natos;* Quid babes, à ho-  
mo, quod non acceperisti? Beatus esse dare, quam accipere.

§. 34. Verum quemadmodum Boudevvyns facile con-  
descendo, asserenti, genuina ejusmodi arcana in pauco-  
rum manibus reperiri, ac frequentiores offendit sumi- & nu-  
gi vendulos, qui talia jactitent & ægris persuadeant, obtru-  
dere aliquando malint Collegis suis perfricta maxime fron-  
te, vulgaria interim tantum & vel aniculis nota propinent:  
sic eo ipso, dum neminem unquam invidiæ turgescens ea-  
usque agitavit, ut cujuslibet artistæ scientiam privatam, seu  
qualiumcunq; encheirisium alterius notitiam suam & omni-  
bus communem velit, nullaque unquam Lex illud autoriti-  
tatis sibi arrogavit, quo vel levissimi agyrtæ experimentum  
extorserit; cur Medicos talia omnium mancipia volumus,  
quibus,



quibus, contra jura, omne peculum denegetur? Neque tanta vis penes virum non minus prudentem ac pium erit religionis, quam hujus pectori incutere conantur larvati ejusmodi conscientiarii, ut communia semper & ubiq; cum aliis faciat, quæ ē re bonæ valetudinis, vel conservandæ, vel recuperandæ, fore certius novit, & quæ post Deum industriae suæ debet: postquam videlicet nemini suis & suorum famæ atque commodis, si quidem sine præjudicio & sine supplantatione proximi hoc fiat, invigilare denegatum; & quod per benedictionem divinam atque laborem suum quis reperit, remedium medicum, si per hoc ægris inserviat, alteri propalare, nec in clinicis congressibus, tenetur, Charitas quippe à se ipso incipere permittit ac jubet. Nec sordidissimus futor, nec ullius nobilioris artis gnarus, hanc, quam callet, alterum invitus ut doceat, honeste ac juste adigi potest: &, si bona fortunæ cætera cum sui & suorum dispendio dilapidare, nemo urgeri valet, quin potius per sanam rationem & Legum publicarum autoritatem inhibetur; quid singulis medicaminis possessorem coget, ut hoc, quod propitia ipsi concessit fortuna, divulgando abjiciat, hinc existimatio- ni & fortunis suis temerè vim inferat?

§. 35. Pietatem demum Godofr. Scholzii, quam in appendice Scrutinii Cinabarini profitetur, conturbare equidem nolo, ab eadem tamen adeo facile persuaderi vix possum, omnem arcanorum medicorum suppressionem bigilla idololatrica, quarum altera Φιλοδοξία, altera Φιλαρυρεία, audit, inniti, & quod instar numinis adorari velimq; aut aurei luti sacra fames nos vexet, si arcana nostra celemus. Vanam anhelare gloriam ac divitias avidius congerere, minus honestum esse, largior, famam nihilominus honeste compare sibi que ac suis prospicere, ipsum jus naturæ indulget, ne- dum imponit: cuius utriusque instrumentum post Numinis summi gratiam industria pia concedit. Nisi ipsemet Scholzii charitatis proximi immemor audire malit, dum in al- lega-



Legati appendicis præfaciuncula non omnibus, promiscue in praxin Medicam involantibus, Emplastri Hofmanniani magnetici & obturantis bigam se daturum & concessurum &c. ait; quale quid tamen quomodo evitare queat, typis publicis dum exscribi curavit tanta arcana, non concipio. Verbis, quibus idem scriptor pergit: *Quicquid jam tempus & experientia circa scrutinium simplicium & compositorum retexit in singulis regnis Naturæ, arcanum est, & fuit: quæ omnia si taceri debuissent a primis observatoribus, quid, quæso, cum nobis ageretur, si diafata velint, ut & nos morbis affligamur.* Taceo laudabilem morem hodierni Collegii Curiosorum, qui, quicquid fere arcanorum habent in saniore pharmacia, therapeia & aliis Medicinæ systematicæ partibus, id omne & nobis & gratiose posteritati medicæ effundunt &c. promptissime adstipulor, neque inventa & experimenta tacere ullum jubeo: quo nihilominus hæc cuncta cunctis & semper revelet, jubere, ipsa ratio & charitas in nos nostrosque fructificans vetat. Postquam imprimis Arti ipsimet & Artistis eruditioribz præsidiorum medicorum adeo luxuriosam in plebeculam notitiam multum derogare, illiq; pariter ac his in vilipendium cessisse, quotidiana dolens experientia: dum per eam quilibet se Medicum jaçtat & temere sati illa applicat quivis medicaster in casibus ejusmodi, in qualibus iis aut nunquam, aut difficulter satis, uti auderet Dogmaticus circumspectior.

§. 36. Sufficere quippe in concertatione consultatoria puto, si, quod socio & ægro commendat, remedii ætiologiam & cui indicato speciali appropriatum hoc existat, innuat, v. g. quod sit catharticum, carminativum, nervinum, anodynum &c. quod Medico rationali facile erit; eique simul fidem per alia experimenta faciat: quod si hic non præstet, vel (ut agyrtis solenne) præstare nequeat, vel per cervicositatem nolit, alteri, ut consultationi se subducat, svadeo, cum de re ignota consultare haud detur. Extra quem casum tamen minus approbo, ut, quod quis callet, remedium præstans adeo mordicus & invidiose sibi retineat, ut in sarcophagum secum sepeliri, quam per idem aliis prodesse, malit: communicet potius ante obitum seu leget hoc cuidam, quem peritum novit Medicum fidumque, sui suorumque amicum. Sic enim proderit sibi, infirmis ac publico, quamdiu superstes, proderit amico, ægris, arti & posteritati defunctus, utrumq; piissime ac honestissime. Inhumanitatis autem illum tantum Medicum arguit *Scribonius Largus*, qui gravi periculo expositum per medicamentum sibi peculiare & secretum salvare, si poterit, detrectat: ejusque superiùs citata verba minime, ut alteri Medico idem mox revelet, postulant, postulant, ne denegetur infirmo, medelam postulanti atq; expectanti.

••• (o) •••



D1 A 6540



Sb.

WPA



N. 26

I. N. J.

DE

# MEDICI OFFICIO DISSERTATIO QVARTA,

Quam

P RÆSIDE

## JOHANNE BOHNIO,

Med. Doct. & Prof. Publ.

*Disquisitioni Philiatrorum exponet*

M. Christoph Friedrich Richter/  
Lips. Med. Baccal.

In Auditorio Majore

D. II. Augusti 1699.

---

LIPSIAE,

Literis FLEISCHERIANIS.

FarbKarte #13

